

alia quaedam natura, mentis et rationis expers, haec efficere potuit, quae non modo ut fierent, ratione eguerunt, sed intelligi qualia sint, sine summa ratione non possunt?

Cap. XLV. Nec vero haec solum admirabilia, sed nihil magis, quam quod ita stabilis est mundus, atque i cohaeret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius. Omnes enim partes ejus undique medium locum capessentes, nituntur aequaliter. Maxima autem corpora inter se juncta permanent, cum quasi quodam vinculo circumdata colligantur: quod facit ea natura, quae per omnem mundum omnia mente et ratione conficiens funditur, et ad medium rapit et convertit extrema. Quocirca si mundus globosus est, ob eamque causam omnes ejus partes undique aequabiles, ipsae per se atque inter se continentur: contingere idem terrae necesse est, ut, omnibus ejus partibus in medium vergentibus (idem autem medium et infimum in sphaera est), nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum. Eademque ratione mare, quum supra terram sit, medium tamen terrae locum expetens conglobatur undique aequabiliter, neque redundat umquam, neque effunditur. Huic autem continens aër fertur ille quidem levitate sublimis, sed tamen in omnes partes se ipse fundit. Itaque et mari continuatus et iunctus est et natura fertur ad coelum: cuius tenuitate et calore temperatus vitalem et salutarem spiritum praebet animantibus. Quem complexa summa pars coeli, qui aether dicitur, et suum retinet ardorem tenuem et nulla admistione concretum, et cum aëris extremitate conjungitur.

Cap. XLVI. In aethere autem astra volvuntur; quae se et nixu suo conglobata continent, et forma ipsa figuraque sua momenta sustentant; sunt enim rotunda: quibus formis, ut ante dixisse videor, minime noceri potest. Sunt autem stellae natura flammeae. Quocirca terrae, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole ex agris tepefactis, et ex